

vant, quatenus in largiore, quam par erat, quantitate ingesta non modò ventriculi atoniam producant; sed humori digestivo insuper minus proportionata vim ejus solventem eludunt, hinc cruda aut semicocta remanentia cephalalgias, vomitus, nauseam, ventriculi dolores, ructus, similiaque symptomata movent. Idem judicium esto de potulentorum ingurgitatione nimia, quæ particulas fermenti salinas nimis diluendò virtutem ejus non parum debilitant.

THESES. XXX.

Qualitate verò molesta esse solent duriora quævis solidioribus fibris gaudentia, carnes scilicet salitæ & fumò induratae, it. pisces acetò vel sale conditi, & pariter fumò, vel etiam aëre exsiccati, v. g. asellus, muræna, hallec sive muriâ conditum, sive infumatum &c. Licet enim hæc edulia hominibus robustiore ventriculò præditis satis grata deprehendantur, gracilibus tamen & imbecillioribus multum negotii faceffunt.

THESES. XXXI.

Eundem censum subeunt caseus liberaliore manu assumptus, aliaque lacticia à cruditate imprimis acida facilè in coagulum caseosum abeuntia, hinc obstructions aliaque symptomata, causantia, siquidem *Mæbius Epit. Instit. p. 492.* à lacte crebrius & copiosius assumpto chlorosin & obstructions uteri contumacissimas in virgine nobili annotavit. In subjectis verò biliosis cruditatis nidorosa frequens causa existere solent.

THESES. XXXII.

Ejusdem farinae sunt cibi pinguiores, multò oleò conditi, aut in butyro frixi, vel eòdem saltè largiùs conspersi, utpote quòrum abusus non modò ad nauseam & vomitum disponit, sed lympham insuper solven-

tem